

riturus non fuisset, si à peccato sibi constantissimè cavisset; adde *B. Scherz. Collegii Anti-Socin. p. 255.* Respondetur autem Socinianis, uti mortem; ita & mortalitatem, seu τὸ esse obnoxium morti, esse peccati poenam: juxta comminationem Dei. *Gen. II, 17.* unde non potest conditio naturæ fuisse. Conf. *B. Gerhard. Tom. II. L. de Imag. Dei Cap. IV. §. 99. seqq. p. 311. seqq. & B. Scherzer. l. c. p. 255.* ubi objectiones Socinianorum solidissimæ resolvit.

Quer. 2. An Christus εὐθανασίαν nobis promeruerit?

Hic notandum inprimis, quod εὐθανασίας nomine intelligi debeat, non mors, quoad ea, quæ corpus attinent, placida ac suaviter, in oppositione ad mortem violentam aut corpori dolorosam, valdè renitente naturâ: sed mors beata, quâ anima, de Dei gratiâ certa vitam hanc mortalem deserens, ad quietem suam læta transit. Itaque ad *Qu. resp.* affirmando. Quicquid enim bonorum Spiritualium & in negotio Salutis nostræ, nobis obtingit, illud Christus nobis promeruit. Atqui εὐθανασία est tale bonum. E. Major probatur ex *Act. IV, 12. ἐν ἄλλῳ ἔσθ' ἐνὶ ἡ σωτηρία.* Minor probatur ex nostro textu. Contradicunt verò iterum *Sociniani*, asserentes, nullum meritum propriè sic dictum apud Christum inveniri, atque Christum Servatorem nostrum dici, quòd salutem & εὐθανασίαν nobis annunciet. Vide ex *Socinianorum* scriptis prolixè differentem *B. Scherzerum Coll. Anti-S. p. 473.* Contra autem observandum est, quòd Christus *reconciliaverit nos in corpore carnis sue per mortem, Coloss. I, 22. in mortem pro nobis in odorem suavitatis traditus, Ephes. V, 2. & datus pro nobis tanquam ἀντίλυτρον. I. Tim. II, 6.* Objectiones iterum confutatas vide apud *B. Scherz. p. 481. seq.*

Quer. 3.